



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

27. Exclusa est gloriatio tua, non per legem factorum, sed per legem fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447

& iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi: id est, & pariter misericors in iustificando credentes: ut sic misericordia & veritas obuiauerint sibi, iustitia & pax oscularæ fuerint. psal. 24. 14.

27 Exclusa est gloriatio tua, non per legem factorum, sed per legem fidei.

Multum placuit hic locus hæreticis, qui intelligunt legem operum esse illam quæ opera præcipit, legem fidei esse illam quæ fidem præcipit. Quum igitur lex fidei omnem gloriationem de iustitia excludat (ait Calvinus) iustitia operum cum iustitia fidei sociari non potest. Hæc ille Institut. libro 3. cap. 11. num. 13.

Nec multò aliter Beza: Lex fidei, id est, doctrina Evangelica, quæ salutem proponit sub conditione, si credideris, quam conditionem Dominus gratis dat ut impleri possimus; opponitur legi operum, id est, omni doctrinæ quæ salutem promittit cum conditione, si omnia feceris, quam vnus Christus pro nobis impleuit. Illa igitur omnem gloriationem tollit, ut potest quæ iustitiam, ac proinde salutem non acquirendam à nobis, sed ab alio nobis questam donet, id est, vnum flagitet, ut donatam velimus fide recipere, demique efficiat ut velimus. Sed contra peruersas & impias hæc Apolloli corruptiones sic disputat S. Augustinus: Lex factorum ipsa est quæ dicit, Non concupisces, quia per illam est cognitio peccati. Volo igitur scire si quis mihi dicere audeat, verum lex fidei non dicat, Non concupisces. Si enim non dicit, quid causa est cur non in ea positi securi atque im-

Rom. 2.
Lex fidei
præcipit
opera.

punè peccemus. Hoc enim & illi putauerunt Apo-
stum dicere, de quibus ait: Et sicut quidam dicunt
dicere, Faciamus mala vt veniant bona, quorum dicitur
nat: o iusta est. Si autem dicit etiam ipsa lex fidei: Non
concupisces, sicut tam multa præcepta Evangelicæ
Apostolica re: iustificari & clamare non cessant. quare
lex factorum etiam ipsa non dicitur? Aut quare per
illam excluditur gloriatio, quum & per illam
cognitio peccati? Quid interest, breuiter dicam. Quod
operum lex minando imperat, hoc lex fidei credendo im-
petrat. Lege operum dicit Deus, Fac quod iubet. Lex
fidei dicitur Deo, Da quod iubes. Ideo enim iubet
vt admoneat quid iacet fides: id est, vt cui iubet
si nondum potest, sciat quid petat, si autem contumax
potest, & obedire facit, debet etiam scire quod
ante possit. Hæc ille de Spiritu & lit. cap. 11.
Et paulo post cap. 20. adhuc clarius: Non
lege operum iustificatus est qui iam iustus est, sed
lege fidei, qua scilicet credidit nullo modo posse suam
infirmiati adimplenda ea qua lex factorum iubet,
nisi diuina gratia, s. b. ueni. i. Hæc ille. Gloriatio
ergo excluditur per legem fidei, quia docet
fides, non ex nobis sed ex Dei gratia nos ius-
tos fieri: & vt alio in loco August. scribit,
quia per legem fidei quisque cognoscit si quid boni
vult, ex Dei gratia se habere. Per legem factorum
non excluditur gloriatio; quia qui per
sola opera sua sine Dei gratia se iustificari
putat, in seipso gloriatur. Propter quod
Apostolus alibi dixit: Gratia saluati estis per
fidei, non ex operibus, ne quis gloriatur.

De Spiritu
& lit.
cap. 10.

Ephes. 2.

Hæc est

Hæc est ergo iuxta S. Augustinum gratiæ Christi prædicatorem maximum & iuxta veteris Ecclesiæ fidem, vera oppositio inter legem factorum & legem fidei. Oppositio quam fingit Beza, ut lex fidei solam conditionem credendi, lex operum conditionem omnia faciendi ad salutem necessariam proponat, nouella est, commentitia est, & disertissimis Pauli verbis cōtradicit qui cōditionem faciendi non secus quàm credendi ad salutem necessariam clarissimè docet. *Si secundum carnem vixeris, morieris.* Quo vno verbo omnia peccata carnis, quæ ad Gal. 5. enumerat, complectitur *Si spiritu facta carnis mortificaueris, uiuēs.* Quo vno iterum verbo omnia virtutum opera quæ spiritus aduersus carnem pugnans producit, & opera seu fructus spiritus vocat Paulus eodem in loco, ubi & illa similiter enumerat, cōplectitur De qua perpetua pugna & militia ad salutem necessaria alibi dicit: *N si quis legitime certauerit, non coronabitur.* Non est ergo Euangelica doctrina, sed Satanica; nec lex fidei, sed commentum hæreticorum; sic proponi salutem sub conditione credendi, ut excludatur conditio faciendi omnia quæ Deus iubet. Imò cū Christo apertissimè hæc impia doctrina aduersa fronte pugnat: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Hic proponitur ad salutem necessaria cōditio omnia faciendi quæ Deus iubet. Sed nō est hæc aut Christi aut Pauli doctrina, illa

Bonorum
operum
conditio
in iustitia
fidei.
Rom. 8.

2. Tim. 2.

Matt. 19.

na, illa lex factorū aut illa lex operū quam hic legi fidei Paulus opponit, vt eruditè de sacris Scripturis conformiter exposuit Sanctus Augustinus.

Alia via incedit Calvinus vt hunc textum corrumpat, nec tā clarè & perspicuè vel expositioni S. Augustini, vel diuinis Scripturis sese opponit. *Gloriationem* (inquit) *hanc dubiè exclusam dicit, quia nihil possumus nostrum producere, quod Dei sit approbatione aut commendatione dignum. Verum hoc est de omni eo quod purè nostrum est, & absque Dei gratia productum. Quòd si* (inquit) *materia gloriandi est meritum, siue illud de congruo siue de condigno nomines, quo homo sibi Deum conciliet, hic vtrūque euerti vides. Neque enim hic de inimitatione vel moderatione agitur, sed Paulus ne guttū quidem reliquam facit. Respondeo, ad conciliationem nostram cum Deo, de qua reuera hic Paulus propriè agit, Catholica Ecclesia nullum ponit ex parte nostra meritum, vt in Conc. Tridentino perspicuè explicatum est. Nec materia gloriandi in seipso vllum meritum est, sed bene gloriandi in Deo, iuxta*

2. Cor. 1.

illud Pauli; Qui gloriatur, in Domino gloriatur: quod numquam diceret, si gloriari in Domino non liceret. Sequitur in Caluino: Deinde si per fidem tollitur operum gloriatio, vt non possit fides purè predicari, quin omnia Dei misericordia deferendo prorsus hominem laude spoliet; sequitur, nullis ad iustitiam consequendam operibus nos adiu-

Meritum
ad primā
iustifica-
tionem
nullum.

quavi. Hæc consequentia nulla est, futilis & inepta est. Si quidem per fidē tolleretur operum executio aut necessitas, tunc bene sequeretur, nullis ad iustitiam consequendam operibus nos adiuuari. At non idem sequitur ex sublata operum gloriatio. Per fidē tollitur operum gloriatio, id est, talia opera, de quibus homo in seipso gloriatur; ideoque bene sequitur, nullis huiusmodi operibus ad iustitiam consequendam nos adiuuari, ex quibus homo in seipso gloriatur, tanquam videlicet à seipso & ex seipso factis, absque adiutorio gratiæ Dei. Nunc autem opera quibus homo ad iustitiam consequendā adiuuatur, sunt opera gratiæ Dei, & quæ Deus operatur in homine, ipso cooperante homine, ut tum Dei tum hominis opera sint quæcunque bene & laudabiliter ad salutem aut iustitiam consequendā operatur homo. Sic non in sola fide, sed & in istiusmodi operibus bonis omnia Dei misericordiæ deferendo, omni laude spoliatur homo, qui in seipso gloriari aut ex seipso laudari vult. Quæ explicatio & ea quæ apud Calvinum sequuntur, futilia ac puerilia esse cauilla manifestè ostendit. *Intelligit (inquit) hoc loco apostolus, si iustitia esset in lege operum, non exclusum iri nostram gloriam: sed quoniam solius fidei est, ideo nihil esse nobis arrogandum, quoniam à Deo omnia accipit fides, nihil asserti præter humilē inopiā confessionē.* Futile (inquam) & ineptum

Operum
gloriatio
sublata
non tollit
operum
iustitiam.

hoc totū esse, ea, quæ iam diximus, demon-
 strant. Quum enim opera ex quibus iustifi-
 camur, sunt opera gratiæ Dei in nobis, non
 ex sola fide, sed ex huiusmodi quoque operi-
 bus nihil est nobis arrogandum. A Deo om-
 nia accipiunt bona opera non secus quàm fi-
 des. Bona iustorum opera, quatenus Deum
 authorem habent, nihil quoque afferunt præ-
 teri humilem inopiæ confessionem. Nonne
 illa humilis inopiæ propriæ confessio est: *Da-
 mine, dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra
 ope tuus es in nobis*. Est vox cantici noui quæ
 cantabitur in illa die, vox Evangelica; qualis
 & illa Pauli est: *Omnia possum in eo qui me con-
 fortat*. Omnia opera iustorum illam semper
 humilem confessionem habent, quam Chris-
 tus eos docuit, dicens: *Sine me nihil potestis fe-
 cere*. Quæ tamen voce ad eò bona facta non
 excluduntur, ut paulò post ibidem dixerit,
*Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vo-
 bis*. Deinde, fides ipsa nonne opus credentis
 est? An verò sola fides Dei donū est? Prorsus
 à Deo omnia accipit, charitas, spes, cōtinen-
 tia, oratio, eleēmosyna, abstinētia, carnis
 mortificatio, omniaque virtutum opera non
 secus quàm ipsa fides. Actus quoque fidei nō
 secus actus hominis est credentis in Deum,
 quàm charitas Dei & proximi actus homi-
 nis est Deum & proximum diligentis. Non
 ergo secus excluditur gloriatio nostra per
 veræ pietatis opera quàm per fidem. Non
 secus

Opera iu-
 stitiæ ni-
 hil tibi ar-
 rogant.

Esai 26.

Philip 4.

Ioan. 15.

secus iustitia in lege huiusmodi operū excludit gloriationem, quā iustitia in lege fidei. Sed lex operum per quam non excluditur gloratio, & ex qua stulti homines gloriandi materiam accipiunt in seipsis, nō in Domino, est illa iustitia operum, quam sine gratia Christi ta Iudæi quā Gentiles se habuisse aut habere posse præsumebant. Et cōtra hos, horumque opera Apostolus disputat, non contra credentes in Christum iustos, eorumque bona opera ex Christi gratia producta.

Vnde illud quod adhuc subiungit Calvinus, splendidum mendacium est, & textus Apostolici manifesta corruptio. Ait enim: *Et notanda est diligenter fidei & operum antithesis, in qua sine adiectione opera vniuersaliter ponuntur, & omnia qua fingi possunt opera comprehendit.* Iubet diligenter notari, in quo voluit lectorem suum peregre ludere. Fidei & operum antithesis hoc loco ex reliqua Apostoli disputatione spectanda est. Apostolus autem non vniuersaliter de omnibus quæcunque fingi possunt operibus disputat, sed de operibus Iudæorum in Christū credere recusantium, suāque in lege & eius sola doctrina gloriantium, & de operibus Gentium qui Christi fidem neglegebant concludens postea, *unum esse Deum qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem: id est, qui sine fide neminem iustificat, quantacunque & qualiacunque opera legis, seu scriptæ, seu naturalis,*
libi

Opera
vniuersa
per Paulum
non
excludere.

Gal. 5.

sibi vendiderit. Deinde, si Paulus sic fidei operibus opponit, ut operum nomine *universally* *saliter omnia quae fingi possunt opera comprehendat*, ergo & illa quoque opera comprehenduntur, de quibus idem Paulus dixit, *fides quae per dilectionem operatur*. Haec enim fides opera adiuncta habet. Haec etiam fides illa est, quae in Christo valet, id est, quae iustificat. De fide enim iustificante disputat. Quum enim dixisset, *Evacuati estis à Christo qui in lege iustificamini, & gratia excidistis*: (id est, beneficio gratiae Christi caretis, quae semel reuelata cum umbraticis illis & purè legalibus non consistit) *nos enim spiritu*, id est, spiritu gratiae accepto, *ex fide* (hoc nobis promittente) *spem iustitiae*, id est, speratam iustitiae mercedem, vel ipsam iustitiam praesentis vitae, quam speramus, *expectamus*: quum haec, inquam, dixisset, subiungit per modum confirmationis: *Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet*, id est, neque legalia observasse aut circumcisum fuisse aliquid ad iustitiam coram Deo valet; *neque praeputium*, id est, neque Gentilium more moraliter vixisse; *sed fides quae per charitatem operatur*, id est, merito ex fide spem iustitiae expectamus, quia illa demum fides in Christo ad iustitiam valet, quae per virtutem charitatis operatoria fit, bonaque producit opera. Sic fides apud Paulum non omnibus quae fingi possunt operibus opponitur, sed contra illa opera ad iustitiam requirit, quae charitas producit,

ducit, vel quæ per charitatem & cum charitate ipsa pariter producit.

Quæ etiam explicatio alteram hinc Calvini imposturam & luculentum mendacium refutat. Sic enim hunc locum concludens ait: *Operum quidem iustitia commendatur in lege, sed fidei sua lex est, quæ nullam in operibus, qualiacunque sint, iustitiam relinquit.* Atqui disertissimè in verbis citatis docuit Apostolus fidem in Christo iustificantem illam esse, quæ per charitatem operatur, id est, quæ operum iustitiam requirit. Si enim illa fides iustificat quæ per charitatem operatur, manifestè sequitur, nec solam esse fidem quæ iustificat, sed cum operibus coniunctam; nec ipsam fidem sine operibus iustificare, sed pariter cum illis, nec denique aliquam fidei legem esse quæ nullam in operibus iustitiam relinquit, sed veram illam fidei iustificantis legem esse, quæ aliquam in operibus iustitiam relinquit, quando sine operibus nullam ipsamet iustitiam adferat.

28. *Arbitramur hominem iustificari per fidem, sine operibus legis.*

Locus ab hæreticis mirum in modum deprauatus. Est in his verbis (ait Beza) conclusio argumèti, cuius pondus si nossent sophistæ, nunquam huc deuenissent ut in iustificatione vellent opera cum fide concurrere. Hæc ille. Sed quid hinc Apostolus concludat, ex alijs Apostoli locis prius explicatis facile est intelligere. Quorum

Opera cū fide iustificanc.